

..... occupati de nostra probitate merito confidenter.
nobis super hoc duximus concedendam ex Regia
..... te mandatam. quatinus formam prescripti regii
mandati diligenter attenta inquisizione per probos et fide-
les viros facere debeatis. si predecessores predicti dompni
petri cannensis episcopi tempore quondam domini patris
nostris felicis memorie et ipse usque ad hec felicia nostra
tempora decimas integras saline cannarum consueverunt
percipere et habere, iuxta quod mandatum continet supradictum
qua inquisizione facta formam presentium nomina
et dicta testium, in sollepnem scriptam redigi facientes.
faciatis fieri exinde duo consimilia publica Instrumenta
unum dimictendo eidem domino episcopo et alterum no-
bis pro parte curie destinandum. Datum Baroli quarto
februarii quarte indictionis. volentes igitur tenorem pre-
dictarum licterarum execucioni debite demandare. In pre-
sencia Ionathe publici Baroli notarii et testium subscrip-
torum ad hoc specialiater vocatorum et rogatorum. per
subscriptos probos et fideles viros tam de Barolo quam
de cannis super premissis inquisicionem diligentissimam
duximus faciendam, quorum nomina et deposiciones infe-
rius denotantur. § In primis Petrus Romanus filius de
petro romano de Barolo iuratus et interrogatus si sciret
quod Episcopi Antecessores Petri. venerabilis cannensis
episcopi qui pro tempore fuerint in predicta Cannensi ec-
clesia et ipse (*sic*) consueverint percipere et habuerint tem-
pore domini Imperatoris felicis memorie et usque ad hec
felicia tempora domini nostri serenissimi Regis Manfredi
dixit quod sic. Interrogatus de causa scientie dixit quod
interfuit et vidi quod per diversas vices et tempora, quando
cabelloti qui emerunt proventus saline cannarum tempore
dicti domini Imperatoris solvere Integras decimas de pro-
ventibus ipsis saline cannarum. Domino arturio tunc
Cannensi episcopo. dixit etiam quod post mortem dicti
arturii episcopi cabelloti qui postmodum pro tempore eme-